Juvante Trinuno!

Theologicam contra Calvinianos

EXERCITATIONEM

DE

DISTINCTIONE

Voluntatis Divinæ in Antecedentem & Consequentem

Divinâ Favente Gratiâ

PRÆSIDE

Viro Maximè Reverendo, Amplissimo atq;

Excellentissimo

DN. BALTASARE BEBELIO,

SS. Theol. Doct. & Prof. P. Celeberrimo, Summi Templi Ecclesiaste & Inspectore Collegii Wilhelmitani Gravissimo, Præceptore ac Patrono suo sanctè pieque Venerando.

Publicè examinandam proponet

BALTHASAR GEORGIUS Schumann/ Gunzenhusanus.

Ad Diem 30. Mens. Septemb.

ARGENTORATI,

Typis JOHANNIS WILHELMI TIDEMANNI,

ANNO M. DC. LXXII.

9

In *Nomine SS. ac Individuæ Trinitatis!*

Præloquium.

QUanta ſit Dei bonitas, quàm in effabilis ac inenarranda prorsùs erga nos miſeros benevolentia, quamque inexhauſta ipſius σωτηριοβουλία, *ſalvandi voluntas*, præter clariſſima utriusque Teſtamenti teſtimonia demonſtrat κοσμοφιλία *Catholica*, quam inſinuat nobis dilectiſſimus ipſius Dei filius in illo totius Evangelii compendio aureo, Joh. 3. 16. *Sic Deus &c. Terminus hujus* κοσμοφιλίας eſt τὸ σωθῆναι, in ſalutem æternam terminatus. Nimirum, ſicut, quisquis morſus fuerit à ſerpentibus, ſi ſerpentem æneum aſpexerit, vivet, *Num.* 21. 8. Ita omnis indiſcriminatim, qui fide aſpexerit Chriſtum mundo in victimam donatum, vivet in æternum. Ad hunc terminum fertur *Voluntas divina*, quæ *antecedens hîc & ordinata* inrelligenda eſt, non conſequens, non abſoluta, quam intellectam volunt Calviniani. Cujus Diſtinctionis (*quâ nimirum diſtinguitnr Voluntas Dei in antecedentem & conſequentem*) cùm magna ſit Neceſſitas, nec minor illius dextre acceptæ & vindicatæ utilitas, *nobis per totum ferè Phænomenon. VII.* Hodoſ. Chriſt. *Dn D. Dannhavveri b. m. inſinuata*; Sic eam, (*quantum quidem per ingenij vires licuerit*) explicare & vindicare conſtitui, non ut afferrem omnia, quæ undique conquiſita ad il-

 lam

lam possent comportari; sed ut illam à quorundam ab adversâ parte stantium, simplicem, absolutam, inevitabilem & irresistibilem Dei voluntatem defendentium, maximè recentiorum, objectionibus vindicarem, probaremque, *rectè Distinctionem illam in negotio salutis nostræ adscribi tribuique Deo.* Hoc cum bono Deo præstiturus, qui simplicem veritatem verbo suo declaravit, sub clypeo gratiæ & voluntatis in Christo patefactæ, totam hanc Dissertationem *duabus* includam *sectionibus*, quarum *Exegeticam* unam, alteram verò vocamus *Elenchticam*, quæ adversantium, atque inter illos maxime *Arnoldi*, contrà quem præcipuè agendum erit, sententiam proponet, cum rationibus, quibus eam cõfirmasse sibi persuadent. Coucludet rationum istarum levis & brevis; sed evidens discussio, devotaque pro viribus divinitus concessis precum exornatio. Sit Ergò

Sectio Prima.
EXEGETICA.

§. 1.

DUplex nobis ante omnia in hâc nostrâ Sectione movendus & evolvendus *Controversiæ Status*: 1. *An sit?* & 2. *Quid sit?* Nos quæstionis *quid sit?* probatione alio reservata, & paulò inferius aperta, jam de quæstione *an sit?* disquirimus: *An nimirum rectè DEO adscribatur voluntas Antecedens & Consequens.*

§. 2. Nos quæsitum affirmamus & quæstionis hujus Affirmativæ fundamenrũ sequenti huic syllogismo includimus: Qc: Omnium hominum, qui per peccata in æternum exitium se præcipitarunt, est misertus, & hunc in finem etiam Redem-

ptorem

ptorem misit *omnibus* hominibus, ut *omnes* redimeret; Vult autem, ut salventur homines sub certa mediorum τάξει & ordine, nimirum *ut credant*, videns tamen, quod quidam homines non credant sed media salutis respuant, atque ita ipsorum salutem non vult, illi rectè adscribitur Voluntas Antecedens & Consequens. (*Antecedens, quæ antecedit intuitum fidei & incredulitatis; Consequens, quæ eundem sequitur?*) Atqui Deus. E. MINOR per singula membra Nobis erit probanda:

§. 3. Quòd Deus voluntate sua Antecedente omnium hominum salutem serio intendat, præter clarissima scripturæ loca alia, utpote Ezech. 18, 23. c. 33, 11. 2. Pet. 3, 9. vel unicus locus 1. Tim. 2, 4. ad probandum hoc nostrum assertum erit sufficiens: Θεὸς, inquit Apostolus, πάντας ἀνθρώπους θέλει σωθῆναι καὶ εἰς ἐπίγνωσιν ἀληθείας ἐλθεῖν.

§. 4. Habemus hîc (1.) *Voluntatem Dei*, quæ intelligitur *seria & efficax*, *quantum ex parte Dei*, adeò ut filium Redemptorem miserit, & tùm propensione animi naturali, cùm liberâ determinatione nos salvos facere velit. (2.) *Objectum voluntatis Divinæ personale*, quod sunt omnes homines, voce *omnis non* διαιρετικῶς, sed πληρωματικῶς sumta. Nam illos vult salvari Deus, pro quibus offerendæ sunt precum & deprecationum hostiæ; pro quibus Christus factus est victima, λύτρον ἀντίλυτρον; quos vult ad veritatis agnitionem pervenire. *Conf. Matth.* 28, 19. *Actor.* 17, 30. *Esa.* 65, 2. Atqui omnes. *Marc.* 16, 15, 16. E. (3.) *Objectum Voluntatis Reale*, quod est salus nempè *spiritualis & cœlestis*, quam solam consequimur agnitione veritatis, & cujus participes reddimur Christi Mediatoris acquisitione & merito. (4.) *Medium ad salutem*, quod est agnitio veritatis. Joh. 6, 40. c. 14, 6. c 17, 3. 2. Cor. 2, 14, 16.

§. 5. Variè hunc locum classicum torquent & distorquent adversarii, quos notavit *Beatus Dn. D. Dannhaverus in Hodom. sua Calvin. Phant. VII. pag.* 1433. Piscator in scholiis & observationibus suis super h. l. p. 1232. per πάντας, omnes, intelligit παντοδαπούς, omnis generis homines, non singulas hominum personas. Ratio, quam ex uberibus Calvini hausit venenisuga iste, in formam redacta erit hæc: Jlli sunt divina

 volun-

voluntate salvabiles, pro quibus orandum. At non orandum est pro singulis generum, nominatim non pro reprobis, quos & Christus exclusit. Joh. 17, 9. & nos excludere debemus 1. Joh. 5, 16. ℞. 1. ad Locum Joh. 17, 9. Consequentiam hanc: (Non oravit Christus tunc in precatione προαγωνίῳ; non *oravit eo modo ac fine pro mundo*. E. nunquam,)

§. 6. Negando. Verba enim Christi c. l. de *actu* rogandi *particulari* sunt intelligenda; Non rogo pro mundo, inquit Salvator, *scil. hoc tempore, nunc & in hâc oratione speciali, hoc modo ac fine*. Orat enim pro suis fidelibus, ut in agnita veritate & concordia serventur; orat ut Pater illos amet; quomodo verò sic oraret pro Idololatris, pro rebellibus, & iis, qui sceptro verbi regio graves nuncios pacis persequuntur. Aliàs rogat etiam pro mundo Es. 21. i. e. non conversis, ut convertantur; rogat pro crucifixoribus ignorantibus Luc. 23, 34. Suosque fideles pro inimicis suis rogare jubet. *Plura vid. in Hodos. Christ. edit. post. Phœn. 8. p. m. 722.*

§. 7. Ad alterum locum ex 1. Joh. 5, 16. ℞. Iterum Neg. consequentiam, cùm non sequatur; Non orare debet is, qui *dono discretionis est* præditus, pro eô, qui *peccat ad mortem*, h. e. peccatum in Sp. Sanctum, *in sensu composito*, quatenus in tali peccato adeoque ipsa salutis repulsa contumacissima manet. E. Nulli Christiano pro ejusmodi peccatore *in sensu diviso* orandum. Nam sicut Dominus τὰς ἀπίστους, quà tales, in actu ἀπιστίας contumaciter perseverantes non vult voluntate consequente & Judiciaria salvari; ita nec vult orari pro iis, qui (ut *Augustinus loqui amat Serm. 59. de Temp.*) adversus istam gratiam, quâ reconciliati sunt Deo, invidentiæ facibus agitantur.

§. 8. Distinguunt alii cum *Crocio inter Velle approbandi & efficiendi*: alii cum *Chamiero inter* εὐαρεστίαν *&* εὐδοκίαν: alii aliter. Verùm omnes hæ opiniones à veritate nimium quantùm! aberrant. Chamieri nugatio circulatoria est. Cedo enim locum, in quo εὐαρεστία divina ab εὐδοκίᾳ distinguatur. Quod Deus præcipit, ad id promissis auxiliis efficacibus etiam stimulat, juxta illud ἐν παντὶ ῥήματι Θεοῦ, in omni verbo Dei vivet homo, Matth. 4, 4, h. e. omne præceptum divinum comitem

habet

habet benedictionem divinam in eos, qui præcepto non sunt graves; atque ita Deus hominem vult σωθῆναι, ut etiam σώζειν, vult eum & servari & servare.

§. 9. Insigniter verò errat *Chamier*, dum σώζειν & σωθῆναι tanquam ἀντικείμενα habet. Quis dabit σωζομένους ἄνευ θεοῦ σώζοντος? *Matth.* 18, 11. 1.*Tim.* 1, 15. *cap.* 4, 10. salvatio passiva præsupponit activam. Patrem ægrum sanari à morbo, uti Deus non præcepit, ita nec promisit; at is Deus, qui per os Petri dixit, σώθητε, statim addit promissa efficacia & manum auxiliatricem. *Actor.* 2, 39, 40. uti aliàs, siquis Magister imperet discenda, non tamen juvet discipulum in discendo, exosus potiùs est quàm audiendus. Ita Deus non tantùm vult nos nostram velle salutem, sed etiam ipse vult & seriò nostram desiderat salutem.

§. 10. Erroribus hisce annectimus etiam illum *Petri Strigosi* Bonaventuræ Commentatoris, quem citat *Dn. D. Müller in Theol. sua Scholastica p. m.* 158. qui super nostrum locum Paulinum commentatur, quod Paulus ita de *Christo homine* loquatur, qui *secundum Voluntatem hūmanam tantum* velit omnium salutem. Cujus errori opponimus, quod Voluntas Christi in negotio salutis non discrepet à voluntate & consilio Patris Cœlestis *Joh. V,* 30. *cap. VIII,* 40. Quinimò Deus est ipsa charitas, *quomodo E. Humana Christi voluntas* propensior esse potest in salutem, quàm Dei? 1. *Joh.* 4, 8. verissimè inquit Ambrosius: *Dei & Christi una est voluntas in salvandis hominibus.*

§. 11. Restat denique nostra, quam super l. cit. fovemus, sententia, quæ talis, quod Deus *Voluntate* sua *Antecedente* omnes homines velit salvos. *Voluntate* verò *Consequente* non nisi eos, qui finaliter sint credituri.

§. 12. Quantum ad 2. *Membrum* Min. proposit: de *Voluntate* Dei *ordinata*, quod salutem omnium Deus velit *cum certo ordine*, nimirum *ut credant*, fundatur illa apertissimis scripturæ locis, *Joh.* 3, 16. *Marc.* 16, 16.

§. 13. Quòd. 3. ideò quorundam salutem nolit, *quia non credunt*, constat itidem ex cit. locis *Joh.* 3. *Marc.* 16.

§. 14. Majorem quod concernit, illa negari non potest, quia illa voluntas, quâ Deus vult omnium hominum salutem,

& hunc

& hunc in finem filium suum omnibus hominibus in Redemptorem mittit, *antecedenter se* habet ad eam, quâ, *ordine ab ipso posito*, concludit denique hos vel illos, quos videt credituros, se velle salvari. Utque res fiat clarior, juvat *Ordinem Divini decreti* uberius declarare, quem *ex scriptura sacra* debemus concipere de negotio salutis nostræ.

§. 15. Notanter diximus: *quem debemus concipere ex scriptura sacra.* Quod enim in Decreto & Voluntate Divinâ non detur prius & posterius, neutiquam negamus; *Scriptura S.* autem sese accommodat ad ingenium nostrum, cum nos non possimus, uti Deus, omnia uno actu simplicissimo concipere & penetrare. Exposuit igitur nobis *Spiritus Sanctus* ordinem decreti Divini, prout à *Nobis* debet concipi. Sic ἐκλογὴ in scripturâ sacrâ, qua Deus hunc vel illum hominem elegit ad vitam æternam in æterno suo decreto, non est primus actus in signo rationis nostræ, adeò ut erret, quicunque non concipit aliquem priorem actum. Dicitur enim expresse in Scriptura S. quod ἐκλογὴ sit facta κατὰ πρόγνωσιν, secundum prævisionem 1. *Petr.* 1, 2. *Rom.* 8, 29. prævidit autem προηλπικότας *Ephes.* 1, 12. Porrò dicitur *Eph.* 1, 11. *Rom.* 8, 28. & 2. *Tim.* 1, 9. quod ἐκλογὴ sit facta κατὰ πρόθεσιν; πρόθεσις autem illa est nobis in Scriptura Sacra revelata per Christum 2. *Tim.* 1, 9. & hæc est. *Quicunque credit, salvus erit*, *Marc.* 16, 15. *Joh.* 3, 16. Sequitur igitur, πρόθεσιν in signo rationis nostræ præcedere & πρόγνωσιν & ἐκλογήν. Et optimè *decretum Electionis* secundum ea, quæ prænotata sunt à nobis, concipitur *Syllogismo* aliquo, ubi Πρόθεσις nobis sistit *Majorem*; Πρόγνωσις *Minorem*, & ἐκλογὴ *Conclusionem*, formâ sequenti: *Quic: finaliter credituri sunt in Christum mundi Redemptorem, electi sunto ad vitam æternam præ illis, qui non sunt credituri finaliter. Atqui Petrus, Paulus, Johannes & alij.* E. *Conf. Theol. Posit. D. Königij p. m.* 116.

§. 16. Est autem adhuc actus aliquis decreti Divini, quem concipimus ante omnes hos, qui notati sunt, & est *affectus primæ commiserationis ergà lapsum genus humanum*, qui antecedit ipsam πρόθεσιν, quo Deus, antequam ordinem posuit, secundum quem Nos salvari voluit, decrevit omnium hominum mise-

reri

reri,& media ſalutis efficacia omnibus ordinare. Et hoc Decretũ eſt *Voluntatis antecedentis*, quæ exponitur nobis *Ezech*. 33,18. 1. *Tim*. 2, 4. *Voluntatem Conſequentem* vocamus, quæ ſiſtitur in concluſione in ipſa ἐκλογῇ. Ita nos docet *Scriptura Sacra*; unde impium eſſe oportet, qui voluntatem Dei Antecedentem gratioſam impugnare non veretur.

§. 17. Soluta breviter quæſtione *an ſit?* ad quæſtionem *quid ſit?* progredimur. Diſſentiunt hîc à Nobis & *Pontificij* & *Calviniani*. Jlli in univerſalitate quidem voluntatis Antecedentis nobiſcum conſentiunt; in eô verò, quod conſtituerit Deus ordinem, in quo homo conſequi debeat gratiam & vitam æternam à nobis diſſentiunt. Concedunt alii, quod Deus ſecundum *Voluntatem Antecedentem* conſtituerit quidẽ *ordinem ſufficientem*, ſed *non omnibus applicandum*, diſtinguentes *inter gratiam ſufficientem & efficientem*, ſimulque aſſerentes, quod *Jlla* ſatis potens quidem ſit ad hominem convertendum, ſed in tempore applicationis non omnibus applicetur. Nos diſtinctione illorum alibi à Magnis noſtris Theologis & imprimis *D. Meiſn. b. m. in Anthrop. ſua Sacra* refutata & deſtructa, ordinem iſtum ad omnes æqualiter pertinere, firmiter ſtatuimus.

§. 18. Calviniani ad aliud *Antecedentem*, ad aliud etiam reſtringunt *Voluntatem Conſequentem*, *citante ipſorum ſententiam Dr. Hülſem. in Brev. Supplem. cap*. 8. *pag*. 100. & inter illos nominatim *Ludovici Crotii*, qui *Voluntatem Antecedentem* ad fidem, quam homo habeat ex viribus naturæ; *Conſequentem* verò ad *abſolutum Decretum*, quo plerisque Deus non vult dare fidem atque ſic ad fidem à Deo vel dandam vel non dandam refert. Sed falluntur & graviter hîc errant Calviniani, cùm *gratioſa* illa Divina *Voluntas* mediis ſufficientibus & efficacibus ſtipata & inſtructa non inæqualiter ad hos vel illos, ſed *æqualiter* ad *omnes* omninò *homines* extendatur; neque etiam Nos *duas* illas *Volitiones* circa unum idemque & uniforme objectum ſibi invicem opponamus. *Prior* enim voluntas Dei verſatur circà hominem, *qua homo eſt*, non habita ratione circumſtantiarum *in objecto*; *Poſterior* verò attendit circumſtantias & verſatur *circa hominem*, *Qt. eſt vel fidelis & obediens*, *vel incredulus & inobedi-*

ens. Sic *Antecedente voluntate* Deus vult omnes homines ſalvare, *ſi credant.* Si verò non credant, vult eos damnare *Voluntate Conſequente.* Itaque *diſtinctæ* quidem, non tamen *contrariæ* ſunt *voluntates*, quia, licet *volitum*, quod Deus *conſequenter* vult, contrarium ſit ei, quod eſt *volitum voluntate Antecedente*, quorum unum eſt *ſalus*, alterum *damnatio*; tamen *volitio* non eſt contraria propter *diverſam rationem* objecti, ſecundum quam *voluntas antecedens & conſequens* diverſum velle à nobis dicuntur.

§. 19. Nobis igitur (*ut noſtram aperiamus mentem*) *Voluntas Dei Antecedens* dicitur, qua Deus bene vult toti mundo ſive humano generi ſive omnibus hominibus, miſsô in hunc mundum filio & per prædicationem Evangelii manifeſtato & oblato, ut per fidem in ipſum ſalvi fiant, *Joh.* 3,16. 1.*Tim.* 2,4. 2.*Pet.* 3,9. *Matth.* 28,37. *Ezech.* 18,*ult.* & *cap.* 33,11. *Conſequens Dei Voluntas* dicitur ea, quâ Deus credentes in Chriſtum ex gratiâ recipit & ſalvat; incredulos autem & impœnitentes juſtè punit, *Joh.* 6,40. *cap.* 3. *v.ult. Marc.* 16,16.

§. 20. Negamus verò, *Voluntatem* Dei *Antecedentem* eſſe deſiderium aliquod inefficax aut affectum ſimplicis complacentiæ, quâ quis rem, quæ ſibi placet, & quam in ſe amat non cupiat efficere, aut conſequi, adeoque nec mediis ad hunc finem ducentibus uti velit; ſed *voluntatem* dicimus *efficacem*, quâ Deus ſalutem hominum ardentiſſimè deſideratam etiam efficere, ac per media ſufficientia ac efficacia conſequi ſeriò intendit. *Differentiam*, quâ differt hæc voluntas *Antecedens* à *Conſequente*, damus hanc: quòd in *illâ* ſpectetur ſalus *ſub ratione mediorum*, quatenus hæc *ex parte Dei* omnibus hominibus ordinata ſunt: *in hac* verò ſpectatur eadem ſalus *ſub ratione mediorum*, in quantum ea ab hominibus vel ſine obſtaculo admîttuntur, vel obice objecto non acceptantur. Hæc ut melius percipiantur obſervamus

§. 21. I. Quod *Antecedens* Dei *Voluntas* ſpectetur in DEI *conſilio*, de mittendo in mundum filio, & per Evangelium manifeſtando, eô fine, *ut homines in ipſum credant*, & ita ſalventur; *Conſequens* verò *Voluntas* reſpicit ipſos homines, prout conſilium illud Dei in Evangelio propoſitum vel amplectentur, vel abjiciunt.

§. 22.

§. 22. II. *Voluntas* illa Dei *Antecedens & Consequens* non eſt abſolutum, ſimplex & præciſum Decretum, de his neceſſario & ſimpliciter ſalvandis, illis vero damnandis, absque reſpectu *Christi, Evangelij & fidei*; Sed eſt *Voluntas ordinata & determinata* certa ratione & modo, ſeu *limitata certa mediorum τάξει* ad ſalutem ducentium. Nam in *Voluntate Antecedente* continetur *univerſalis* illa *Dei dilectio* ergà totum mundum *Johan.* 3, 16. *univerſale Christi meritum* & ſatisfactio, 1. *Joh.* 2, 2. prædicatio *Evangelij & generalis vocatio* hominum *Matth.* 28, 19. *Col.* 1, 23. quæ ſunt cauſæ ſalutis noſtræ, *principalis meritoria & inſtrumentalis* offerens; In *voluntate* verò *Conſequente* attenditur ***applicatio iſtarum ad homines***, quæ fit per cauſam Inſtrumentalem *recipientem* ſive *apprehendentem* nempe ***per fidem***. Fallit E. argumentum illud Adverſariorum: *Si DEUS vellet omnes & ſingulos ſalvos fieri, omnes etiam ſalvarentur.* Negatur enim *Connexum*, quod non diſtinguit inter *Voluntatem* Dei *abſolutam & ordinatam*. Non enim Deus vult abſolutè omnes homines ſalvos fieri, ſed *hoc ordine & ratione*, ut per Evangelium ad agnitionem Veritatis perveniant, & verâ in Chriſtum fide juſtificentur, 1. *Tim.* 2, 4. Quem ordinem cùm multi negligant, quid mirum, ſi non ſalvantur omnes? *Qui enim credunt, ſalvantur; qui non credunt, damnantur, Marc.* 16, 16.

§. 23. Not. III. quod Voluntas *Antecedens* ſit liberrima; *Conſequens* verò aliquam includat obligationem, ſi non *Juris* tamen *Veritatis*. Illuſtremus rem exemplo: veniant rebelles, promulgata *antecedente voluntate* Magiſtratus, gratiam deprecantibus promittentis, & juſto tempore deprecentur, tùm utique Magiſtratus (niſi mendax audiri velit) ad condonandum obligatur; annon hic *Voluntas Conſequens* includit obligationem? licet antè promulgationem voluntas Magiſtratus *antecedens* fuerit libera, nec ad condonandum rebellibus obligata. Parili ratione Deus, facta promiſſione, ſe in Chriſtum credituris & in hac ipſa fide ad finem usque vitæ perſeveraturis, daturum eſſe vitam æternam, obligatur utique finaliter credenti dare vitam, ſi non *ex jure* tamen *ex veritate*, *Rom.* 15, 8. *ut Veritas ſubſiſtat.*

§. 24. IV. Ratione *Objecti* aliquid diſcriminis eſſe dici-

mus inter voluntatem *Antecedentem & Consequentem*; Voluntas *Antecedens* pro *Objecto* non habet, nisi *bonum*, non malum: *Consequens* etiã *malum*, scilicet *pœnæ, mortem* & *damnationem*. *Summa Voluntatis Antecedentis* hæc est: Vult Deus ex immensa misericordiá mittere filium suum in carnem, ut pro peccatis humani generis satisfaciat: Vult ad ipsum vocare omnes homines per Evangelium, ut ipsum audiant, & in ipso habeant vitam æternam: *Summa Voluntatis Consequentis* hæc: qui in Christum credunt, salvantur: qui non credunt, damnantur. Unde apparet, quod Voluntas *Antecedens* velit bonum *sub certo ordine, certaque conditione* (*sensu orthodoxo intellecta*) in nobis implenda & præstanda; *Consequens* verò etiam velit malum pœnæ, mortem & damnationem, in quantum scilicet media per Voluntatem Antecedentem homini oblata, obice objecto, non acceptantur. Scilicet: Si non credideritis, condemnabimini moriemini. Deus non vult malum, Voluntate *Antecedente*, nec facit malum culpæ; sed præsupponit, quo præsupposito, vult malum pœnæ *consequenter*. Sic tuti sumus ab errore *supralapsariorum*, qui voluntatem damnatricem, statuunt, antecedere peccatum; contra quos firma hæc nostra stat assertio, quod *Voluntate* Dei *Antecedente* nullius hominis damnatio intendatur.

§. 25. V. Notandum etiam contra *Crotium* (qui *Objectum* voluntatis *Antecedentis* etiam facit incredulos; *Consequentis* solos electos) quod voluntas *Antecedens & Consequens* etiam ad unum aliquod objectum *personale* seu *Individuale* referantur, quod probamus exemplis: Sic *Voluntas* Dei *Antecedens* est: Volo, *Petrum* salutem consequi in Christo, si in fide ad finem usque vitæ perseveret: *Consequens* est hæc: quia autem *Petrus* perseveranter credit; Ideò volo ut salutem in Christo consequatur. It. juxta *voluntatem* suam *antecedentem* vult Deus, *Judam* habere in Christo salutem, si finaliter credat; *Consequens voluntas* versatur circa eundem *Judam*; quia scilicet *Judas* non finaliter credit in Christum, sed prolapsus in desperationem perit: F. Volo *Judam* salutem in Christo non consequi.

§. 26. VI. Notamus denique ex *Hodosophiâ pag.* 531 (*quod etiam paulò superiùs circa* §. 18. *paucis ex occasione notavimus*) quod

unum

unum illud *idemque Objectum* possit & debeat diversè considerari, ita ut *Voluntas Antecedens* consideret *Objectum* illud *sine respectu*, prout vel credit, vel non credit, *sed prout credere debet*, & ita *nudè* hominem considerat; *Consequens* verò *voluntas* non nudè cōsiderat hominē sed *cum respectu* vel fidei, vel incredulitatis. Si idem *Objectum* est *in statu fidei*, tùm *Voluntas Consequens* versatur circa id *salvandum*, Si in *statu incredulitatis*, tùm circa idem *Objectum* versatur, ut *damnandum*. Atque ita *Objectum* ipsum *Individuale* seu *Personale* cum *respectu* ad id objectum confundi non debet. Hactenus de *Sectione Prima Exegetica*; sequitur

Sectio Secunda.
& quidem
ELENCHTICA.

§. 1.

ARrodunt vero hanc Distinctionem Voluntatis Divinæ in *Antecedentem* & *Consequentem* Synodales Dordraceni, quorum rationes citat *Beatus Dn. noster D. Dannhavverus in sæpius citata sua Hōdom. Calvin. p. m. 1432. Phant. VII.*

§. 2. Rejiciunt eam etiam authoritate superiorum *Johan. Piscator*, *Maccovius*, *Henricus Altingius*, *Wendelinus*, quos notavit summè Reverendus Dn. D. Calovius, Syst. Th. t. 2. p. 451. It. *Rivetus*, contra quem disputat Hodosophia nostra Christiana p. 529. It. *Arnoldus* in scopis suis dissolutis contra *Henricum Eckardum*, *SS. Theol. D. & Circuli Aldenburgensis Superintendentem* quondam *Generalem*; cujus argumenta, quæ videntur, potiora pro viribus ingenii examinare & ab exceptionibus Adversarii orthodoxam Theologi nostri sententiam vindicare, nostri erit instituti.

§. 3. Nostri inquit Arnoldus p. 271. hanc voluntatis Dei distinctionem evertunt argumentis sequentibus: 1. Voluntas Dei, *cum sit ipse Deus, nulla re esse posterior potest*; *Consequenter illa voluntas, quæ omnimodè est antecedens, nullo modo contradistinctum membrum consequentis habere potest.* Argumentum erit tale: Obj. 1.

 Quic-

Quicquid est ipse Deus, illo non potest dari prius vel posterius. At voluntas Dei. E. ℞. 1. Quod Majoris *Consequens* non simpliciter concedatur, manifestum est ex suprà dictis. Ἐκλογὴ *Decretum Electionis* ab æterno factum sine dubio *quoad rem* est ipse Deus, & tamen dicitur illa facta, κατὰ πρόγνωσιν, 1. *Pet*.1, 2. *Rom*. 8, 29. It. κατὰ πρόθεσιν, *Eph*. 1, 11. 2. *Tim*. 1, 9. Posset etiam *instantiæ loco* afferri persona aliqua divina, v. g. *Filius Dei*, qui est ipse Deus, & tamen datur aliqua persona prior, sc. prima. Sic etiam ipsi Reformati concedunt nobis, *decretum Electionis* ingredi fidem nostram, sed tanquam *effectum*, quod prius Deus decreverit quosdam homines *ex absoluta* εὐδοκία ad vitam æternam destinare & ut ordine id fiat, *salva justitia sua*, decrevisse filium suum pro iis dare, & fidem illis conferre, per quam salutem adipiscerentur; annon ibi *decretum dandi fidem* concipitur ut *posterius*?

§. 4. Ut igitur Major concedatur; Distinguendum (1.) Inter *prioritatem & posterioritatem ratione temqoris l. realis existentiæ*, *& ratione originis*, *ordinis*, προγνώσεως, consideratam; Quicquid est in Deo, nihil habet prius l. posterius scil. *ratione temporis vel realis existentiæ*; dari tamē potest aliquid prius vel posterius ratione originis, ordinis, προγνώσεως. (2.) Dist. Inter *prioritatem & posterioritatem* alicujus rei, quæ Deo affingitur *à parte rei*, & quæ *manuductu scripturæ* ad captum nostrum sese accomodantis, & ἀνθρωποπαθῶς loquentis, in signo rationis nostræ concipitur. Præmissis hisce distinctionibus ℞. 2. Majorem ita restringendo: Quicquid est ipse Deus, illo non potest dari prius & posterius *quoad rem* & *ratione temporis vel realis existentiæ*. Transeat Minor, & restringatur simili modo conclusio, & nihil inde concludetur contra nos, quia saltem prius ac posterius hîc esse docemus ratione *ordinis decretorū Dei*, prout manuducente scriptura sacra nos illum concipimus & concipere debemus.

§. 5. Excipit *Arnoldus* c. l. per nostram distinctionem sequi, non tantùm ordine, sed etiam tempore voluntatem Dei *Consequentem* esse posteriorem. Ratio, quia conditio sit posterior. ℞. Dist. Inter *Conditionem*, qt. consideratur *in æterno Dei consilio vel decreto*, & prout consideratur, *qt. est ab homine implenda*

plenda. Etsi *conditio* in tempore demum fuerit implenda, erat tamen ipsa posita *in æterno suo decreto* voluntatis *antecedentis. Instas*: interim voluntatem *Consequentem* tempore esse posteriorem, si consideretur ratione *Certitudinis*, cum Voluntas *Conditionata* maneat incerta & *indeterminata*, donec *conditio*, sub quâ quis aliquid vult, vel impleatur vel infringatur. ℞. Voluntas *Consequens* manet *æterna*, etsi conditio *in tempore* fuerit implenda, quia ab æterno conditionis impletionem prævidit; & manet etiam *certa* & *determinata*, quia *infallibiliter* prævidit, quæ prævidit. Plura vid. inferius sub ℞. ad Obj. 6.

§. 6. 2. Pergit *Arnoldus cit. lib. pag.* 271. §. 41. Objiciendo: Deum, inquit, *mutabilem* statuit hæc distinctio; quia, *si Deus voluntate antecedente omnes, & singulos voluit salvos, si omnes & singuli crederent; postmodum autem, cum omnes & singulos credituros non videret, non omnes voluit salvos, sed quosdam tantùm, atque ea propter voluntatem universalem ad quosdam tantum restrinxit; quis mutabilem Dei voluntatem non palpet?*

§. 7. Sed quis nugas tuas & ineptias; *Arnolde*, non palpet? palpabimus eas, si redacta fuerit ratiocinatio tua in certam figuram syllogisticam: Q. *Voluntas omnes & singulos voluit salvos, si omnes & singuli crederent; postmodũ verò cùm omnes & singulos credituros non videret, non omnes voluit salvos, sed quosdam tantum, atque ea propter voluntatem universalem ad quosdam tantùm restrinxit*, illa Deum facit mutabilem. Atqui *Voluntas* Dei *Anteced.* omnes & singulos: *Consequens* quosdam tantum voluit salvos. E. ℞. 1. Ad Min Distinctionē nostram in alienam sententiam detortam esse. Falsum enim est (1.) quod nobis affingitur, per voluntatem suam *Antecedentem*, Deum omnes voluisse salvos, *si crederent omnes*; Falsum etiam (2.) quod postmodum, cùm omnes & singulos credituros non videret, sed quosdam tantùm, propterea *universalem* suam *voluntatem* restrinxerit; sed manet *immutabilis* voluntas Dei *Antecedens* in perpetuum; stat *universalis* hic *affectus primæ commiserationis*, quo Deus salutem omnium hominum ardentissimè desideravit, & desideratam etiam efficere, ac per media sufficientia & efficacia consequi seriò intendit; *universalis* hæc *benevolentia* Dei non tollitur per *voluntа-*

luntatem justitiæ *Consequentem*, quâ aliquos non vult salvari, nimirum eos, qui meritum Christi non apprehendunt; μὴ ἡ ἀπιςία τὴν πίςιν τȣ̃ Θεȣ̃ καταργήσει; *Rom.* 3, 3.

§. 8. *Ineptiæ Calvinianæ* inde oriuntur, quod cogitent de *voluntate* Dei *Consequente*, antequam concipiant *voluntatem* Dei *Conditionatam & Ordinatam*, quasi primò *absoluta* quadam *voluntate* Deus voluisset omnium hominum salutem; quâ concepta, statim concipiunt voluntatem *Consequentem*; & hoc inde fit, quia nunquam non in conceptu suo habent *absolutum* aliquod *decretum*. Quod si admitterent, *Decretum* Dei de salute nostra factum esse *intuitu meriti Christi & fidei* illud apprehendentis; sibi profectò aliquam *Voluntatis* l. decreti Divini *mutabilitatem* non imaginarentur. Nam ideò *Decretum* Dei *prius* seu *antecedens* non est mutatum per *Consequens*, quod dicitur ἐκλογῆς specialiter dictæ, quia non fuit *absolutum*, sed *ordinatũ & conditionatum*. (3.) Pessimè Calviniani in *Proposit. Min.* confundunt voluntatem Dei *ordinatam* cum *conditionata*: Propositio illa, quæ fidem præsupponit, est *ordinata* ἀκριβῶς loquendo, non *conditionata*: ita enim sese habet illa: *Volo omnes & singulos salvari, sed hoc ordine, ut credant*; non autem, *si credant*; Non dicimus, Deum decrevisse salvos facere omnes homines, *si credant*, sed *serio velle, ut omnes homines credant*, & ita salventur.

§. 9. Nos itaque in *Voluntate* Dei *Conditionata* exprimenda notanter dicimus, quod *conditio non sit apponenda fidei*, quæ propriè loquendo non est conditio à nobis implenda, cùm sit donum Dei; *Joh.* 6, 26. sed rectiùs *voluntas* Dei *conditionata* ita à nobis concipitur: *Deus verè nobis vult Spiritum Sanctum dare si mediis divinitus ordinatis utamur: Verbo & sacramento vult omnes salvos & salutis per Christum partæ participes fieri, modò eam non respuant. Vult omnes per verbum convertere modò non resistant.* Conf. *D. Calov. Syst. Th. t. 2. p.* 478. Nos quidem non latet, à Nostratibus Theologis etiam *conditionatam*, si, quandoque præsupponi fidei, & dici: *si credant.* Sed illis hæc particula propriè non est *conditionis*, sed *ordinis*, non negantibus, Deum etiam omnibus & singulis homini-

hominibus velle conferre fidem ceu ſalutis medium, *modò verbo & ſacramentis utantur & non reſiſtant.*

§. 10. Eſt autem adhuc probè obſervandum, quod propoſitio illa *voluntatis ordinatæ*: *Deus voluit omnes homines ſalvari, ſed hoc ordine, ut credant*: pertineat ſuo modo ad *abſolutam*, & ſuo etiam modo ad *Conditionatam*. *Ad abſolutam voluntatem*, quatenus inſtitutioné verbi & ſacramentorũ præcedit. hunc enim in finem verbũ & ſacramenta inſtituit & ordinavit Deus omnibus & ſingulis hominibus, ut omnes & ſinguli credant & fide in Chriſtum ſalventur; quod ſine omni conditione voluit. Quantum verò ad *voluntatem* Dei *applicantis*, voluit Deus omnibus & ſingulis fidem, & per hanc ſalutem conferre, *modò verbo & ſacramentis utantur*, *modò non reſiſtant*; Unde hac ex parte voluntas Dei *Antecedens* eſt *Conditionata* ℟. 2. Neg. Popoſit: Maj. quia (1.) non attendit id, quod Deo adſcribitur à *parte rei*, & quod de ipſo *per modulum mentis noſtræ* concipitur; & inſuper negligit diſtinctionem ſucceſſus decretorum ratione *ordinis* & *temporis* ſeu *realis exiſtentiæ*, uti ſuperiùs monuimus. (2.) Etiamſi Deus per *voluntatem* ſuam *antecedentem* omnium & ſingulorum hominum; per *Voluntatem* verò *Conſequentem* quorundam ſaltem voluerit ſalutem; *prior* tamen illa *voluntas Divina* efficaciſſimæ dilectionis in univerſum genus humanum per mediorum ſalutis ordinationem ſeſe diffundens manet *immutabilis*, & conſideratur vel *ratione acquiſitionis vel ratione applicationis*. Si ratione *acquiſitionis*: *univerſalis* Dei *voluntas* non eſt reſtricta per *particularem*, quia hæc eſt *applicationis*, & quidem ita ut ſalus ſpectetur ſub ratione mediorum, in quantum ea ab homiuibus vel ſine obſtaculo admittuntur, vel obice objecto, non acceptantur. Eſt igitur alius reſpectus & alia conſideratio voluntatis Dei, unde nulla mutatio, nulla reſtrictio, quippè quæ fit ſecundum idem eodem reſpectu conſideratum. Si ratione *applicationis*, itidem nulla mutatio & reſtrictio locum habere poteſt: *Ratio*, quia univerſalis illa Dei voluntas eſt *conditionata* & *ordinata*: nempè voluit Deus omnibus hominibus ordinata ſalutis media applicare gratia ſua convertrice, *ſi verbo & ſacramentis utantur, ſi non reſiſtant ſeu obicem ponant.* Hæc *voluntas*

tas non restringitur per particularem illam, quâ Deus conclusit hos vel illos salvari saltem, quos prævidit *προνλπικότας*, finaliter credituros; hac ipsa potius impletur id, quod voluit Deus *universaliter*, cùm voluerit *cum conditione*, quâ absente, non voluit.

§. 11. Neque restringitur vel mutatur *voluntas* Dei *universalis*, si ita concipiatur: *Voluit Deus, ut omnes homines salventur, sed hoc ordine, ut credant*; Conclusio enim non restringit proposit: Majorem universalem, quæ hæc est? *Quicunq; credunt, eos volo salvos*: sed potiùs salvat in sua universalitate, cùm ex Majori particulari nihil sequatur in primâ figurâ. Apparet igitur, meram esse calumniam, quâ nos petit Adversarius noster, cùm tales nobis affingit ineptias.

§. 12. *Affingit* (inquit & objicit 3. *Arnoldus*) hæc distinctio Deo *imbecillia vota & desiderium inefficax*. Sic etiam Rivetus disp. de Justif. & gratiosa Dei dispensatione th. 29. it. Molinæus in Anat. Armin. c. 5. vid. Hodos. p. 529. Argumentum erit sequens: *Q. voluntas Deo imbecillia vota & desiderium inefficax tribuit, affingit, illa est rejicienda.* Atqui *voluntas* Dei *antecedens universalis*. E. Min. prob. ab Adversario nostro sequenti syllogismo: *Q. voluntas vult omnes homines salvos fieri, illa affingit Deo votum imbecille & desiderium inefficax.* Atqui *voluntas* Dei *Antecedens.* ℞ 1. *Neg. Min.* prioris & *Maj.* posterioris argumenti, quod Minorem prioris probare debet. Negamus, nos Deo aliquid affingere; Negamus votum imbecille adscribi Deo; Negamus etiam desiderium, (*nisi sane sensu explicetur*;) inefficax. Neque probat hæc negata posterius argumentum; falsa est Major: Q. voluntas vult omnes homines salvos fieri, illa asserit & affingit Deo votum imbecille & desiderium inefficax. Sequitur saltem; *illam vovere votum & desiderare desiderium ἀνεκβατικὸν*; non autem votum imbecille & desiderium inefficax, nedum tale affingit Deo. Ἀνεκβατικὸν ἀλλ' ὐκ ἀνέργητον. Non enim evenit semper, quod Deus vult, sed si Deus omnipotentia sua uti vellet, non posset non evenire. Desiderium medici in ægroto curando nequaquam est inefficax quamvis non semper sequatur sanitas; *Nulla hinc in Deo imperfectio, ut qui nihil desideret sibi*

sed

ſed Nobis, ac velit certò ordine, modo, certaque conditione, uti loquitur *B. Dn. D. Dannhavverus in Hodoſ. Chriſt. pag.* 530.

§. 13. Deus ſanè vult à nobis obſervari præcepta, quæ non obſervantur; ſed num votum hoc imbecille dicendum? Jllud votum *imbecille* dicitur, quod deſtitutum eſt omni potentia ad voti finem conſequendum; Tale votum non eſt Dei omnium hominum ſalutem deſiderantis; qui, ſi abſoluta ſua uti vellet potentiâ *ratione applicationis*, (quod ratione primi actus, qui reſpicit acquiſitionem ſalutis per Chriſtum factæ *voluntas* ſit *abſoluta*, non negamus) omnes omninò homines ſalvi fierent; Verùm ita nunquam voluit omnium hominum ſalutem; Voluntas eſt *conditionata*, *ordinata*, *ſi ſcilicet verbo & ſacramentis utantur*, *ſi non reſiſtant ſpiritui Sancto.*

§. 14. Sic etiam non ſequitur *propriè loquendo deſiderium inefficax.* Jllud enim deſiderium *abſolutè loquendo* eſt *inefficax*, quod non tantùm eſt ἀνεκβατικὸν, ſed etiam deſtituitur mediis efficacibus; Aſt *voluntate* ſua *antecedente* Deus ſalutem hominum ardentiſſimè deſiderat efficere, ac per media ſufficientia ac efficacia conſequi ſeriò intendit. Num *inefficax voluntas* illa, de qua Deus ipſe teſtatur: quid eſt, quod debui facere vineæ meæ & non feci ei? *Eſa. V,* 4. an non efficax affectus ille κοσμοφιλίας Catholicæ, quâ ita Deus dilexit mundum, ut etiam filium ſuum unigenitum daret, *Joh.* 3, 16.?

§. 15. ℟. Igitur. 2. *Corrigendo Maj.* prioris argumenti, h. m. *Q voluntas Deo adſcribit votum & deſiderium* ἀνεκβατικὸν, illa eſt rejicienda. Sed ita Major eſt falſiſſima. Annon votum deſideratiſſimum eſt, quo Deus *Ezech.* 18, & 33. deſiderat vitam impii? teſtatur id illud *Ezech.* 18, 22. vult Deus non tantum finem, ſed etiam medium, ſcil. reſipiſcentiam; clamantem audiamus Deum *Ezech.* 33, 11, 12. **Ach warumb wolt jhr doch ſterben/ jhr vom Hauſe Jſrael?** annon voluntas *beneplaciti* fuit βελὴ τȣ̃ θεȣ̃, quam ſpreverunt Phariſæi & Legisperiti? *Luc.* 7, 30. annon *volantas* Dei *ſeria* fuit, quâ voluit, ut Hieroſolyma congregaretur? ſed illa congregari noluit; *Matth.* 27, 37. Spiritui Sancti reſtitit *Act.* 7, 51. manè ſurgendo vocavit oves perditas ſcil. Israelitas, ſed illi non reſponderunt *Jerem.* 7, 13. non audi-

verunt, non inclinaverunt aures suas *Jerem. XI*, 8. En sonoram querelam *sapientiæ hypostaticæ. Proverb.* 1, 24. *Clamavi & vos renuistis.* it. extendi manum meam, & non fuit, qui aspexerit.

§. 16. Objicit 4. & per hanc nostram distinctionem voluntatem Dei *inutilem* reddi dicit *Arnoldus. Si*, inquit, *ab æterno novit Deus, hunc vel illum hominem damnatum iri, inutiliter vult, ut talis servetur.* Argumentum erit tale: *Q. Vult omnes homines salvos fieri, & tamen videt hunc vel illum hominem damnatum iri, ille inutiliter vult, ut talis servetur.* Atqui *Deus ab æterno. &c.* ℞. Neg. Maj. Nam (1.) adversariis non diffitentibus Deus præcipit impiis etiam non electis, ut resipiscant; atque sic voluntate *præcepti* vel ἐυαρεστίας (*uti Arnoldus loquitur pag.* 253.) vult, ut obediant, & tamen videt, illos non obedituros & ad pœnitentiam redituros. Ergone inutiliter præcipit, inutiliter vult, ut obediant? impium! (2.) Quod *voluntas* Dei *universalis* inutilis non sit, potest testari omnium fidelium fides & πληροφορία; hæc stare non posset, nisi gratiæ universalitate nitatur, nisi pro fundamento habeat universale meritum Christi. Cùm enim ex Majori particulari nihil sequatur sub hâc propositione: *Quosdam Deus vult salvos ex absoluta* ἐυδοκία: *pro quibusdam tantùm Christus mortuus est*, nempe pro iis, qui *ex absoluto beneplacito* sunt ab æterno ad vitam æternam electi; succedit gratiæ & gratiosæ voluntatis divinæ universalitas & concludit: Deus vult omnes salvos fieri: pro omnibus Christus mortuus est: E. etiam Deus me vult salvum fieri. E. Christus pro me etiam mortuus est. annon igitur *voluntas* illa *universalis* quâ unicè fides nostra nititur, impiè inutilis dicitur? (3.) Ne quidem inutilis dici potest universalis Dei voluntas *ex parte ipsorum improborum*; Debuit enim his etiam constare benevolus Dei affectus erga universum genus humanum, ut non habeant, quô conquerantur sibi defuisse media salutis & quidem efficacia & sufficientia; quo pacto ad minimum voluntas Dei universalis reprobos facit ἀναπολογήτους. *Rom.* 1, 20.

§. 17. Objicit 5. Adversarius noster c.I.§.45.p.265. quod hæc distinctio pugnantiam voluntatis in Deo ponat; posterior enim priorem corrigit *ex mente Arnoldi. Cùm enim*, inquit,

per

per Consequentem cognoscat Deus, se finem antecedentis intentum assequi non posse, eô ipso argumento priorem correxisse dicendus est, adeoque fingitur Deus hîc fecisse aliquid invitus. Argumentum erit seq. *Cuic: adscribitur gemina voluntas, cujus una alteram corrigit, illi tribuitur pugnans seu contraria voluntas.* Atqui per hanc *distinctionem voluntatis* Dei *in Anteced. & Conseq.* E. ℞ (1.) Corrigendo illud, quod per detorsionem mentis nostræ nobis affingitur in Min. quasi per nostram sententiam *voluntas* Dei *Consequens particularis Antecedentem universalem* corrigat. Nulla fit correctio, uti nulla mutatio, nulla restrictio, quod suprà prolixè est monstratum.

§. 18. Voluntas Dei *Antecedens universalis gratiæ*, prout se habet *ad mediorum salutis acquisitionem*, non fuit correcta per *Consequentem*, quia hæc est *applicationis* factæ κατὰ πρόγνωσιν, atque sic alterius generis. Deinde neque per *voluntatem Conseq.* correcta est *voluntas Antecedens*, prout se habet in respectu ad *mediorum applicationem*, cùm voluntas fuerit *Conditionata*, quippe quâ Deus voluit omnibus & singulis hominibus salutis media in fide conferri & applicari: *si verbo & sacramentis utantur, si non resistant*; Huic voluntati igitur subordinatur *Consequens*, quâ vult illos actu salvari, apud quos conditio impletur.

§. 19. Neque correcta est illa *voluntas*, quâ Deus dicitur voluisse omnium hominum salutem *hoc ordine*, ut credant, quia huic itidem subordinatur *Consequens voluntas*, quæ facta est κατὰ πρόγνωσιν eorum, qui erant finaliter credituri. Corrigamus igitur (2.) argumentum: Cuic. adscribitur gemina voluntas, *una*, quâ Deus vult omnes esse salvos; *altera*, quâ Deus quosdã tantùm vult esse salvos illi tribuitur pugnans seu contraria voluntas. Sic respondemus Restring. Maj. Cuic. adscribitur *gemina voluntas, una, quâ &c. altera ὡ σαύτως similis & κατ' ἀυτὸ, secundum idem*, illi tribuitur pugnans seu contraria voluntas. Majorem sic esse restringendam docet nos sana Philosophia vel Logica, quæ ejusmodi conditiones ad veram repugnantiam requirit. Jam restricta Maj. Neg. Min. Nam Deus vult omnes homines salvos fieri, & vult etiam quosdam tantùm salvos (1) non καθ' ἀυτὸ, secundum idem, si consideretur vo-

 luntas

luntas *Consequens* respectu *antecedentis*, prout hæc est *absoluta* seu sine conditione concipitur. Voluit enim omnes salvari in acacquisitione mediorum salutis, secundum quam non consideratur voluntas Consequens. (2.) Non ὡσαύτως, similiter, si voluntas Dei *antecedens* spectetur ut *conditionata*, ratione applicationis, eô ipso, quò ipsa conditionatè concipitur; secus voluntas Dei *consequens*. Conf. paulò superiùs §. 10.

§. 20. Hoc etiam tenendum est circà ea, quæ habet *Arnoldus* in §. 55. & seq. ubi ita: *Simul dicere Deum velle omnes salvari voluntate antecedente; & nolle, omnes salvari voluntate Conseq. planè impoßibile est & contradictorium, unde Consequens priori lituram inducat eamque expungat oportet.* R/. Ideò non est contraductio, quia non servatur *identitas extremorum*; quod tamen requiritur ad Enunciationes contradictorias, ut scil. termini utriusque propositionis sumantur ὡσαύτως πρὸς, ἀυτὸ καθ' ἀυτὸ καὶ ἐν ἀυτῷ χρόνῳ, Quod autem hîc desint ista requisita, ex supra & modo notatis constabit.

§. 21. Quod 6. nobis opponit argumentum *Arnoldus*, continetur verbis §. 55. expressis, ubi ita: *Distinctio hæc voluntatem Dei antecedentem incertam & indeterminatam facit, donec conditio, sub quâ Deus aliquid antecedenter vult vel impleatur vel infringatur*; Argumentum erit tale: *Voluntas conditionata, quâ quis aliquid vult sub conditione ab aliô implenda, est incerta & indeterminata, donec conditio, sub qua quis aliquid vult, vel impleatur vel infringatur.* Atqui *Voluntas Dei antecedens est conditionata.* R/. Ut jam nihil dicamus de *voluntate* Dei *antecedente*, quomodo hæc *Conditionata* sit dicenda, de quâ re suprà sub Obj. 2. §. 9, 10. Major est falsissima. Nam (1.) tantum abest, ut fiat incerta per *conditionem*, ut nè quidem in homine sit incerta; *Voluntas* sanè *Patris*, qui omnes suos filios hæredes instituit sub *conditione*, *Nisi degeneres fiant*, est certa & determinata *quâ conditionata*, etsi non certò & determinatè sciat, num obedientiam filialem præstituri sint, atque ita non absolutè velit illos hæredes constituere. De *Kegalitis* legitur, quòd tradituri sint Davidem in manus Saulis, si David apud ipsos mansurus esset. Hoc Deus revelans *certò & determinatè* scivit futurum, etsi sub *conditione contingente* fuerit futurum.

Unde

Unde conditio contingens non tollit certitudinem cognitionis. (2.) Accedit, quòd *Voluntas* Dei etiam *Consequens* maneat *certa & determinata*, non obstante conditione *voluntatis* Dei *antecentis* ab homine implenda vel infringenda, quia *certò & infallibiliter* in æterno suo decreto prævidit, in quibus conditio implebitur & in quibus non.

§. 22. 7. Pergit Adversarius noster & ita sese nobis opponit §. 46. & *per hanc*, inquit, *distinctionem voluntas humana se independenter ad Deum determinat ad bonum. Ex Consequente enim voluntate eligit aut reprobat, quorum fidem vel infidelitatem præscivit.* Nam si quæras: *Cur Deus hunc elegit? ex hypothesi distinctionis respondendum est, quia eum prævidit futurum fidelem.* Si porrò quæras: *Unde hoc sit, quod Deus in hoc prævideritfidem; ex eâdem hypothesi respondeatur oportet, quia se homo suapte oaturâ ad fidem dispositurus erat.* Argumentum erit seq. ex ipsissimis verbis Adversarii nostri formandum. *Per quamcunque voluntatem Deus hunc vel illum hominem elegit, quia eum prævidit futurum fidelem; per illam elegit ipsum, quia se ad fidem dispositurus erat suapte natura; & per Consequens voluntas humana se independenter ad Deum determinat ad bonum.* Atqui *per voluntutem Conseq.* E ℞ (1.) ὑπελόντι latet in concluso, quando fit mentio *determinationis voluntatis ad bonum.* Est enim notum, quòd *Calviniani* cum *Dominicanis* statuant aliquam *irresistibilem prædeterminationem divinam voluntatis humanæ ad opera sua, qualiacunque illa sint, seu bona seu mala.* Unde *sine injuria* à Nostratibus ipsis tribuitur, quod Deum faciant *causam peccati*, quod tollant rerum contingentiam & hominis libertatem in externis. Verum est, quod causa secunda dependeat à prima in essendo non tantùm, verùm etiam in operando; sed quod dependentia illa consistat in prædeterminatione aliqua voluntatis ad actiones suas, nullatenùs concedendum est; Ita homo dependet in actionibus suis à Deo, & ita Deus concurrit cum homine in actionibus suis, *ut homini relinquat libertatem suam, præviso, quo liberè sese determinabit.*

§. 23. Quantum ad *actiones spirituales fidei & conversionis nostræ*, illæ in solidum dependent quidem à Deo, sed neque hîc rectè dicitur, Deum ad ipsas determinare hominem. Determi-

natio

natio hæc *Calviniſtica* orta eſt ex *abſoluto aliquo*, quod ſtatuunt, *irreſiſtibili decreto* gratiam ſecum trahente irreſiſtibilem in productione effectuum ſpiritualium. Confundere ergò videtur *Arnoldus* dependentiam *boni ſpiritualis interni ſeu ſalutaris converſionis cum* dependentia *boni corporalis, externi, civilis.* In genere loquitur §. 46. *de bonis actionibus*, quando ait: *Voluntas humana ſe independenter determinat ad bonum per hanc diſtinctionem*: exiſtimans hominis voluntatem in omnibus ſuis actionibus dependere ita à Deo, ut ab ipſo determinentur ad tales; *De bono ſpirituali, de initio, cauſa, ratione ſalutis noſtræ* agit in ſpecie in §. 48. p. 275. aliàs planè eadem objectio eſſet, quæ in §. 46. & quæ §. 48. objicitur. Verùm dependentia illa, quâ homo *in actionibus ſpiritualibus ſalutaris converſionis* à Deo dependet, eſt longè alia ab eâ, qua in *actionibus ſuis externis & civilibus* à Deo dependere dicitur. *In illis* nihil habet virium, quippè in peccatis planè mortuus *Eph.* 2. & 5. *In his* habet vires & agit etiam propriis ſuis naturalibus viribus. In illis unicè dependet à Deo; In his ſecus. Undè apparet, quid ſentiendum ſit de illâ *Conſequentia*, quam annectit Arnoldus. *Homo ſuapte natura ſe diſponit ad fidem.* E. *Voluntas humana independenter ad Deum ſe ipſam determinat ad bonum.* Si loquitur [illegible] præcisè de *Bono*, uti videtur ex ratione ſuprà commemorata, *corporali & civili*, nos ultrò fatemur, hominis voluntatem in actionibus bonis externis non dependere à Deo, uti fides ejus dependet ab ipſo. Neque V. C. *Homo ſe ad fidem ſuam ſuâ naturâ diſponere poteſt.* E. *Voluntas hominis in actionibus ſuis bonis qualibuscunque externis independenter ſe habet.* Poſita, non conceſſa, Pelagiana ſententia, quòd homo ſe ad fidem ſuam diſponere poſſit, non negabitur omnis dependentia, non negabitur communis Dei concurſus, ſed ſaltem negabitur, hominem ex propriis viribus naturalibus agere. Reſtat igitur, ut Reſpondemus (2.) ad Conſeq. Maj. & quidem quatenùs ſine additamento hactenus à nobis remoto concipitur. De quâ re plure in Objectione ſequenti & ultima, ubi idem ferè oggannit adverſarius noſter.

§. 25. Octavum & ultimum, quod præ aliis examine dignum judicamus, *Arnoldi* argumentum habetur §. 48. in verbis ſeq. *Per hanc*, inquit, *Diſtinctionem ſalutis noſtræ initium*

cauſa,

causa, ratio non *Deo, sed homini accepta fertur, si enim quaras: qu fiat, quod cum Deus omnes & singulos homines salvos fieri velit, non tamen omnes salventur? ipsi adversarij respondent; quia non omnes salutis media oblata acceptant. Si quærere pergas: unde hoc sit, quod hi acceptent, illi non? necesse est utrosque id habere ex se.* Hæc erant, quæ etiam objicit in §. 46. uti in præced. objectione verba ejus recitavimus. Hinc *Henricus Altingius* Problem. Theol. part. 1. lib. 3. nos vocat *Semi-Pelagianos. Rejicimus*, inquiens, *& damnamus hanc distinctionem, quo sensu Damnascenus & Semi-Pelagiani* (sic nos per calumniam vocat) *eâ utuntur.* vid. *D. Calov. Syst. Th. t. 2. pag.* 450. Ratio syllogistica erit talis: *Per quamcunque voluntatem Deus hunc vel illum hominem elegit, quia prævidit eum futurum fidelem, ille elegit eum, quia se suapte naturâ ad fidem dispositurus erat* (uti sonant verba §.46.) *Vel quia media salutis oblata erat acceptaturus ex se.* & per consequens salutis nostræ initium, causa & ratio non Deo, sed homini accepta fertur. Atque per *Voluntatem* suam *Conseq.* E.

§. 26. Hoc est Calvinisticum argumentum, quò orthodoxos *Pelagianismi* malitiosè accusant, & quo pugnant manifestè contra Deum & ejus verbum. Annon enim Scriptura Sac. ipsa testatur, ἐκλογὴν factam esse κατὰ πρόθεσιν & πρόγνωσιν, *Rom.* 8. *Ephes.* 1. 2. *Tim.* 1. 1. *Pet.* 1. utrumque dicendum est, quod Deus nos elegerit κατὰ πρόγνωσιν fidei seu προηλπικότας *Eph.* 1. & quòd fides nostra unicè pendeat à Deo, seu sit ἔργον τοῦ θεοῦ *Joh.* 6. Hæc probè scis, *Arnolde*, quòd nos contrà *Pelagianos & Semi-Pelagianos* disputemus passim, ***hominem planè nihil virium habere ad cui conversionem***; unde nobis tacentibus, imaginari tibi potes, Conseq. Maj. à nobis negari.

§. 27. Quando quæritur? *unde sit, quod Deus hunc vel illum ad vitam æternam elegerit?* Rectè ais, nos respondere, quia Deus prævidit hunc vel illum hominem futurum fidelem, adde *finaliter*. Quando autem porrò quæritur: *Unde hoc sit, quod Deus in hoc præviderit fidem, vel quòd media salutis oblata acceptaverit?* Nostra Responsio non est, quia se homo suapte natura ad fidem erat dispositurus, vel, quod id habeat ex se: Hanc responsionem malitiosè nobis affingis *Arnolde. Urges*: Nos oportere ita

respondere: *Nam si dicas* (sunt verba tua §.46.) *eum electum, quia Deus eum ad fidem determinavit* (hoc nos non dicimus, sed Calviniani prædeterminationem aliquam irresistibilem statuentes) *ego pergam quærere: cur ergò non æquè hunc, quem reprobavit, ad fidem determinavit* (non opus ulteriùs quærere, nos enim determinationem Calvinisticam damnamus:) *Nam si determinasset, æque in hoc atque in illo futura fuisset fides. Necesse autem est, ut hîc ad absolutam Dei potestatem & voluntatem recurratur, adeoque distinctio illa corruat.* Ita ineptit *Arnoldus* §.46. Sed hæc nos non movent. Ita enim nos non respondemus, uti Calviniani sibi imaginantur; neque quæstio est: *unde sit, quod hunc ad fidem determinaverit, non illum?* sed quæstio est: ***unde sit, quod hic vel ille homo credat, alius autem non***; & per consequens: Unde sit, quod Deus hunc crediturum præviderit, illum non? Respondemus autem cum Apostolo *Rom.* 6, 23. Ex gratia Dei: τὸ δὲ χάρισμα τοῦ θεοῦ ζωὴ αἰώνιος ἐν χριστῷ Ἰησοῦ, τῷ Κυρίῳ ὑμῶν; it. *Eph.* 2, 5, 8. χάριτί ἐστε σεσωσμένοι καὶ τοῦτο οὐκ ἐξ ὑμῶν, θεοῦ τὸ δῶρον.

§. 28. Excipit Arnoldus: à nobis gratiæ Divinæ non posse salutem nostram & fidem acceptā ferri: *quod si enim*: (sunt ipsius verba §. 48.) *dicant, id illos* (qui credant & salventur) *ex gratia Dei habere*; *hos* (qui non credant & damnentur) *ex se id facere*, quæro: *Cur ergò Deus his non æquè gratiam largitus est ac illis? Hîc aqua hæreat oportet, vel* (uti loquitur §. 46.) *ad absolutam aliquam Dei voluntatem recurrendum est, ut proinde distinctio ista corruat.*

§. 29. Verùm aqua nobis nondum hæret, *mi Arnolde*, neque necesse est, ad *absolutum* aliquod *decretum* recurrere, si ea observaveris, quæ suprà iterum atque iterum inculcavimus de *voluntate* Dei *conditionata*, & facile ex mente nostra respondebis ipse. Nimirum rectissimè omnia in *negotio conversionis & salutis nostræ* adscribi Deo ejusque divinæ gratiæ, cùm unicè sit donū Dei, quo nos beamur. Si autem quæratur: *Unde hoc sit, quod hic fide donetur, ille autem non; hic salvetur, ille non?* R℣. Ex Scr. S. quia hic verbo & sacramentis, quibus mediantibus Spiritus Sanctus in nobis regenerationem operatur 1. *Pet.* 1, 23. *Joh.* 3, 5. *Act.* 3, 5. 1. *Cor.* 12, 13. utitur, ille non, sed respuit βουλὴν τοῦ θεοῦ, *Luc.* 7, 30. Jlle Spiritui S. qui paratus est omnibus per verbum & sacramenta fidem conferre, non resistit; hic autem resistit, *Actor.* 7, 51.

Hæc

Hæc eſt ratio. nullâ hîc opus eſt gratiâ prædeterminante & voluntate irreſiſtibili ſeu decreto abſoluto.

§. 30. Unde etiam quæſtionem illam: *Undè ſit, quòd hic præ alio fidem ex verbo conceperit?* facilè nobis ſolvit *Hodomoria Calvin. B. Dn. D. Dannhavveri p.m.* 1878. *Phant. IX.* quia ſcil. hic pædagogicis viribus non eſt abuſus, quia non reſiſtit divinæ gratiæ, *καρποφορίαν* non impedivit; atque hinc dignus paſſivè, non activè, comparativè, non poſitivè, *Matth.* 10, 11.

§. 31. Quid autem? ſi quis objiciat, quòd etiam *non-reſiſtentia* ſit Sp. S. opus? Hic enim eſt, qui tùm naturalem, tùm actualem, ſimplicem ac vincibilem hominis irregeniti repugnantiam inhibet ac refrænat, ne fiat affectata & moroſa, ut loquitur Theologia Poſit. D. Königii p. m. 197. §. 505. R. Rectiſſimè hæc ſeſe habent. ſed obſervandum (1.) quod, etſi quis largiatur, eſſe in hominis arbitrio, moroſè non reſiſtere, non tamen inde ſequatur *Pelagianiſmus*. Ratio, quia (α.) Jlla *Non-Reſiſtentia* non eſt aliquid *poſitivi* ſed *negativi*, quo homo paſſivè ſe habet; In Controverſiis autem inter Nos & *Pelagianos* ac *Synergiſtas* controvertitur de Liberi arbitrii *viribus poſitivis* (β.) Nihil facit illa *non-reſiſtentia ad converſionem*, ſed eſt *conditio Negativa ſubjecto convertendo neceſſaria*, uti alias abſtinentia à peccatis regnantibus dicitur *conditio neceſſaria ſubjecto juſtificando*, nec tamen facit aliquid ad juſtificationē, ſeu quâ medium, ſeu quâ conditio ſine quâ non. Verùm (2.) nondum facimus cum his, qui *Non-reſiſtentiam* dicunt eſſe ſolius hominis; ſed omninò res ita ſeſe habet, quemadmodum notavit Theol. Poſit Königii, quod Sp. S. ſit, ex repugnante facere non-repugnantem.

§. 32. Eſt autem probè obſervandum, quod in *conditionibus*, quæ *converſionem* præcedunt, eamque intrinſecè non conſtituunt, aliquid etiam *ſubjecto convertendo* ſit dandum, nimirum tantum, quantum virium habet in actionibus *pædagogicis*, *lectione, meditatione & intellectione* ſcripturæ, ubi etiam requiritur *gratia* Sp. S. *præveniens*; ſed hæc gratia præveniens non excludit omnes vires humanas, Te *homo* ejusmodi *conditiones, Subjecto convertendo neceſſarias, pædagogicas* (*NB. nondum eſt ſermo nobis de ipſa converſione*) peragit quidē ſuis viribus, ſed *non ſolis, verum*

gratia Spiritus San. præveniente adjutus. Hoc pacto manet, quod Sp. S. refrœnet, ne fiat morosa, reluctantiam, & manet etiam, quod in homine culpa resideat, quod quidam morosè resistat, quidam non; hominis est, gratia Sp. S. adjutum posse morosè non-resistere: etsi ejus non sit, ita se passivè habere, *si sibi relinquatur.*

§. 33. Nam homo, priusquam *conversio* perficiatur, quâ ipse concepta fide spiritualiter vivere incipit, adhuc mortuus est, nec plus ad sui conversionem conferre potest, quàm *Lazarus* ad sui *resuscitationem Joh.* 11, 43, 44. *verba sunt Exc. Dn. D Ægidij Strauchij, quæ habet in Disp. sua Inaug. de Pœnitentiâ Ninevitarum lit. D.* §. 9. *edit. 2da.* Quod ulteriùs declarat sæpiùs citatus & laudatus *B. Dn. D. Dannh. in Hodom. Calvin. p. m.* 1880. *Phant. IX.* §. 43. *Sicut,* inquit, *non-resistentia corporis resuscitandi è morte non praexigit vitam præsentem; ita nec non-repugnantia pœdagogica ad conversionem praexigit vitam ex regeneratione.* Hæc, quæ hactenus ad *quæstionem* illam aliàs *vexatissimam de concursu hominis ad sui conversionem* ex occasione notavimus, ut meliùs componantur, binas probè observandas ponimus distinctiones, distinguentes sc. inter *vires pædagogicas & beatificas*; it. *inter non-resistentiam negativam & actualem influxum* ad media salutis: *illas* & *hanc* etiam irregenitis largimur: *istas* & *hunc* iisdem denegamus.

SOLI DEO GLORIA.

Præstantissimo atq; pereximio Dn. Respondenti, Amico suo perdilecto!

VUlt Deus, ut fiant homines, quotcunque creavit,
    Salvi, nec pessum funditus ullus eat;
Nam Christus cum morte suâ, tum legis honore
    Promeruit vitam, quæ sine fine beat,
Et meruit cunctis vitâ sine fine potiri,
    Qui fide, quod meruit Jesus, habere volunt,
Utque velint, id & ipse dedit, dum semina verbi
    Sparsit, & his sacræ flumina junxit aquæ.
Nascitur inde fides, quæ cœli dona prehendit,
    Ex fide justitiæ fructus, & alma salus.
Hæc, SCHUMANNE, docet tua dissertatio, quare
    Gratulor, atque precor salvus ut ipse sies.

Benevol. E. fecit

Præses Exercitii.

FINIS.